



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

18. An sufficiat intentio habitualis ad lucrandas Indulgentias? Quod est
quærere, an satis sit ad lucrandam Indulgentiam opera injuncta præstare,
etiam si quis ignoret Indulgentiam facientibus illa ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76369)

Verum quod penitentia sit hæc, aut illa, vel sit maior, aut minor, pendet ex Confessarij arbitrio, vt certum est, & habetur in iure, ac proinde præceptum, quo determinata penitentia iniungitur, Ecclesiasticum & humanum est, ergo Pontifex potest illud abrogare, præsertim quando concedit Indulgentias commutando penitentias Confessarij in illud pium opus, quo quis disponitur ad Indulgentiam consequendam, & supponitur ex thesauro id satisfactionis, quod deest.

Unde patet responsio ad primum argumentum, quod pro sua sententia adducebat Valentia. Ad secundum argumentum de absurdo respondeo cum Granado supra, quod si semper inueniri posset Indulgentia omnino plenaria, aut quæ ab iniunctis penitentis absolueret, semper posset homo liberari ab obligatione implendi penitentiam à Confessario impostam. Nec id absurdum est. Sed ab Ecclesia concessum, nec tenetur homo exequi semper id, quo reddatur certitudo de remissione, fat enim est si probabiliter id sibi persuadeat, sicut sibi persuadere potest se consecutum Indulgentiam, & ideo ad penitentias à Confessario iniunctas non amplius teneri, est tamen optimè consilium eas etiam implere, & tenentur si sunt preferentiæ.

RESOL. XVII.

De supra hominum multitudine Ecclesiam ingredi non potest, sufficit foris orationem infundere, ad lucranda Indulgentiam? Et an in huiusmodi concessione adiunctum etiam Cæmestrium nomine Ecclesia comprehendatur? Ex p. 5. tr. 12. Refol. 19.

Respondeo affirmatiuè cum Layman l. 5. tr. 7. cap. 3. num. 9. & aliis, quia moraliter rem æstimando in tali casu tales Ecclesiam visitant, quando præsentiam exhibent suam, quatenus possunt. Et nota in eiusmodi concessione etiam adiunctum cæmestrium nomine Ecclesie comprehenditur, quia in fauorabilibus verbis late sunt interpretanda. Vide etiam Ioannem Prepositum in 3. part. D. Thom. q. 14. de Indulg. dub. 10. & Philippum de la Cruz in thes. Eccles. tract. 1. §. 6. num. 4. Ludouicum de la Cruz in Bulla Cruciatæ l. 1. cap. 8. dub. 23. n. 5. & alios penes ipsum cum aliis, quos egoiple citauit in 1. part. tr. 11. refol. 103.

RESOL. XVIII.

De sufficiens intentio habitualis ad lucrandas Indulgentias? Quod est querere, an satis sit ad lucranda Indulgentiam, opera iniuncta præstare, etiam si quis ignoret Indulgentiam facientibus illa opera concessam esse? Ex p. 5. tract. 12. Refol. 6.

Negatiuè respondet Leo de Iubileo p. 2. n. 135. Corduba de Indulgent. q. 25. Vega in summ. mario Papæ, & alij, quia non videtur esse talis intentio, non videtur sufficere, ita neque ad lucranda Indulgentiam.

Mihi verò satis probabilis videtur opinio affirmatiua, pro qua in 4. part. tract. 4. refolut. 24. adduxi Portel, cui nunc addo Sanctarellam de Iubil. c. 15. dub. 4. & Layman in Theolog. moral. lib. 5. tract. 7. cap. 6. n. 5. qui citat Salas, & ratio est, quia non est existimandum Summum Pontificem in lucrante Indulgentiam exigere actualem intentionem, quia nec natura Indulgentiæ id necessario postulat, nec verba concessionis id significant, cum solam dicatur Indulgentiam, v. gr.

plenariam consequendam fore à fidelibus, qui tali die Ecclesiam piè visitauerint, id totum autem sit, et si quis actualem intentionem non habeat Indulgentias lucrandi, ergo, &c. Et ita hanc sententiam tenet etiam Villalobos, in summ. tom. 1. tract. 26. difficult. 3. n. 9. vbi sic ait: [Y digomas, que aunque no tuuiesse intencion de ganarla, quando entra en la Iglesia; parece que bastaria que despues del acto, sabiendo que auia Indulgentia, lo ratificasse en orden à esse fin.] Sic ille.

RESOL. XIX.

An existens in gratia, si ad tria signa Campana post solis occasum recitet Aue Maria, cum vers. Angelus Domini, &c. & Verbum caro factum est, lucretur Indulgentiam concedi solitam; ignorans tamen tunc talem Indulgentiam concedi; quod est querere, an lucreturus Indulgentiam debeat habere intentionem actualem, vel virtualem eam lucrandi, quando facit opera iniuncta pro illa lucranda?

Idem dicendum est, si in aliqua Ecclesia est vna Indulgentia concessa intranti illam, & ibi certis vicibus dicenti Pater noster, & Aue Maria, vel quid simile, si aliquis existens in gratia intrauit Ecclesiam, recitauit Orationes iniunctas, sed ignorauit ibi talem Indulgentiam illo die concedi, an hoc non obstante, lucretur supra dictam Indulgentiam? Ex part. 4. tractatu. 4. & Misc. Refol. 24.

Suppono tanquam certum Adrianum I V. talem Indulgentiam concessisse non solum pro Regularibus, sed etiam pro omnibus Christi fidelibus, vt inter alios docet Hieronymus Rodriq. in compend. quest. Regular. refol. 77. n. 51. iuncto num. 17. Difficultas veto est, an seculares illam lucretur, qui existentes in gratia recitant dictas Aue Maria, modo quo supra, nescientes tamen in tali recitatione gaudere indulgentia? & videtur negatiuè respondendum, ex doctrina Aegydi de Trullench in Bull. Cruciatæ l. 1. §. 6. dub. 2. n. 5. Emmanuelis Rodriguez in eadem Bulla §. 8. n. 9. & aliorum asserentium, quod lucreturus indulgentiam debet habere intentionem actualem, vel virtualem eam lucrandi, quando facit opera iniuncta pro illa lucranda. Sed in nostro casu recitans suprascriptas Aue Maria, non habet intentionem neque actualem, neque virtualem, quia nescit in tali recitatione concedi Indulgentiam plenariam; ergo necessariò sequitur illam non lucrari.

His tamen non obstantibus affirmatiuam sententiam docet Laurentius Portel in addit. ad dubia Regularia, ver. Indulgentia, num. 7. quia vnumquodque opus nostrum factum in gratia maximè pœnosum, vltra portionem gratiæ, quam meretur, meretur etiam certam satisfactionem pro pena debita in Purgatorio, et Theologi fatentur: at tale opus meritorium meretur hanc certam portionem satisfactionis pro penis, etiam si operans meritoriè, neque actu neque virtualiter intendat talem satisfactionem quando actu operatur, imò multi & ferè omnes seculares id ignorant. Ergo cum Indulgentia suppleat nostra opera satisfactoria circa eandem penam Purgatorij, habeatque eandem conditionem, vt scilicet opus iniunctum & factum pro Indulgentia acquirat portionem illam satisfactionis, etiam si is qui facit tale opus iniunctum nihil cogitet, neque sciat, neque intendat de tali Indulgentia. Et confirmatur, quia subrogatum habet naturam, quam habet illud, pro quo subrogatur; ergo si opus meritorium factum in gratia, meretur portionem satisfactionis absque eo, quod operans illud intendat, & cogitet, vel sciat, faciens opus iniunctum pro Indulgentia (quod opus fit loco operis meritorij,

N. A. E. Indulgentia. I. IV. V. III.